An. et vol. XCVIII 1 Septembris 2006 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

quibus Beato Iosepho Bilczewski Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Est autem fides sperandorum substantia, rerum argumentum non apparentium » (*Heb* 11, 1).

Beati Iosephi Bilczewski tota vita fide est illuminata, quam ipse Verbo Dei nutrivit Divinaque liturgia, altissimam creans consonantiam inter veritates quibus credebat quasque docebat, pastorales navitates et cotidianam vitam, omnino Deo et Ecclesiae deditam.

Die XXVI mensis Aprilis anno MDCCCLX in loco v.d. *Wilamowice*, meridionali in parte hodiernae Poloniae, tunc inter fines Imperii Austriaci-Hungarici, est ortus. Maturitatis diplomate accepto anno MDCCCLXXX, Cracoviae Seminarium ingressus est Maius. Die VI mensis Iulii anno MDCCCLXXXIV Cracoviae sacerdos a suo Episcopo dioecesano est ordinatus. Anno MDCCCLXXXVI doctoratum consecutus est in theologia apud Universitatem Studiorum Vindobonensem. Curricula peregit deinde etiam Romae et Lutetiae Parisiorum. Anno MDCCCXC Cracoviae examen superavit habilitatis apud Universitatem Studiorum Jaghellonicam. Sequenti anno professor nominatus est theologiae dogmaticae apud Universitatem Studiorum Ioannis Casimiri Leopolitana in urbe. Ibi officium etiam explevit decani facultatis theologiae et rectoris eiusdem Universitatis. Disciplina in theologica inter primos fuit qui monumenta archaeologica veluti « locum theologicum » considerabat; de argumento isto in libro tractavit cui titulus « Eucharistia sub picturarum antiquarum atque inscrip-

tionum lumine». Eucharistia — aiebat — celebrata et hodie ab Ecclesia catholica recepta, eadem est quam Apostoli vixerunt cuique crediderunt.

Eius intellectus cordisque dotes Imperatori Austriae Francisco Iosepho notae fuerunt, qui eum veluti candidatum proposuit ad vacantem Sedem metropolitanam Leopolitanam. Summus Pontifex Leo XIII hoc consilium accepit atque Iosephum Bilczewski Archiepiscopum nominavit Leopolitanum Latinorum, qui die XX mensis Ianuarii anno MCMI est consecratus.

Archiepiscopus totum se pro sancta Ecclesia dicare voluit. Magna cordis bonitate humilitate pietate actuositate pastoralique industria eminuit, quae ex eius dilectione Dei et proximi profluebant.

Maxime sollicitus erat de vocationibus ad sacerdotium promovendis, de diligenti iuvenum paratione ad activam et fructuosam liturgiae participationem, de catechesi tradenda eiusque nexu cum Eucharistia. Aedificationem promovit ecclesiarum et sacellorum, scholarum et asylorum pueritiae. Eius sermones, epistulae pastorales et ad fideles adhortationes altam significabant fidem, sed etiam proposita quaestionum solvendarum. Spiritali et materiali modo opera iuvit quae ipsius in archidioecesi nascebantur. Eius sancta vita, precationis et operae plena, fecit ut ille magni ab omnibus confessionibus existimaretur, ritibus et Nationibus in archidioecesi praesentibus. In Galitiae regione peritissimus omnium considerabatur in sociali doctrina Ecclesiae, in consensione cum praeceptis Leonis XIII in «Rerum novarum» significatis. Quaestiones considerans sociales, semper pauperes et populum defendebat, fundamentum vitae socialis in iustitia et amore christiano reponens. Tempore primi belli universalis, dum odium et despectio regnabant, amorem gentibus indicabat Dei infinitum, qui veniam dat peccatorum et iniuriarum. Omnibus loquebatur de praeceptis Dei servandis, praesertim amoris fraterni. Solutiones proponebat quaestionum socialium de familia et iuvenibus praecepto amoris Dei et proximi nitens.

Pastoralis caritas ex Beati huius alta necessitudine cum Deo fluebat, quam precibus et sui ipsius abnegatione colebat. Saepe et longe erga Sanctissimum stabat Sacramentum in eucharistica adoratione, ex qua vires extrahebat ut in via sanctitatis progrederetur et animam suam purificaret. Solam quaerebat Dei gloriam animarumque salutem. Ob Christi amorem omnibus generose et simplici servire voluit ratione. Disiunctus a rebus materialibus fuit et temperans in usu bonorum terrestrium.

Tempore XXIIII annorum ministerii sui pastoralis vultum mutavit archidioecesis Leopolitanae. Die XX mensis Martii anno MCMXXIII mortuus est atque, secundum suum desiderium, in «Coemeterio Janowski», appellato etiam «Pauperum coemeterio», est sepultus.

Anno MCMLII Causa incohata est Beatificationis et Canonizationis in archidioecesi Cracoviae. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die XXVI mensis Iunii anno MMI inter beatos hunc Servum Dei recenseri voluit. Decretum super miraculo, intercessioni eiusdem Beati attributo, die XX Decembris prodiit anno MMIV. Die XXIV Februarii anno MMV Consistorium celebratum est Patrum Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum. Decrevimus deinde ut Canonizationis ritus die XXIII mensis Octobris eiusdem anni Romae perageretur.

Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Iosephum Bilczewski, Caietanum Catanoso, Sigismundum Gorazdowski, Albertum Hurtado Cruchaga et Felicem a Nicosia Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Octobris, anno Domini bismillesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 27.302

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Dei Servis Iosepho Tapies Sirvant et VI Sociis Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium et terrestrium et infernorum » (*Philp* 2, 10).

Servi Dei Iosephus Tapies Sirvant et VI Socii Christo fideliter servierunt, unicae verae humanitatis saluti, eximia deditione ministerium sacerdotale exercentes et deinde, postquam vexatio in religionem in Hispania annis MCMXXXVI-MCMXXXIX orta est, vitam veluti sacrificium adorationis Dei et amoris immolaverunt. Plumbeis glandibus simul die XIII mensis Augusti anno MCMXXXVI prope coemeterium *Salàs de Pallars* interfecti sunt et in odium fidei mortui, veniam suis persecutoribus dantes et nomen Regis Universi invocantes. Isti sunt:

1. *Iosephus Tapies Sirvant*. Die XV mensis Martii anno MDCCCLXIX in loco *Pons*, dioecesis Urgellensis et provinciae Ilerdensis, est ortus. Sacerdos anno MDCCCXCII est ordinatus. Organi pulsator fuit in paroecia *Salàs de Pallars* atque confessarius et professor in locali collegio sororum Sacrae Familiae. Peculiarem ob eius sapientiam, multi ad eum se vertebant a quo consilia petebant. Magni etiam ob moralem integritatem et caritatem existimabatur et quoscumque indigentes adiuvabat pauperesque.

2. *Paschalis Araguás Guardia*. In *Pont de Claverol*, dioecesi in Urgellensi, provincia in Ilerdensi, die XVII mensis Maii anno MDCCCXCIX est ortus. Sacerdotalem accepit anno MCMXXIII ordinationem. Quibusdam in paroeciis ministerium exercuit pastorale, anno MCMXXIX parochus nominatus est *Noals*. Humilis et bonus constanter ad gloriam Dei est operatus.

3. *Silvester Arnau Pascüet*. In loco *Gósol*, dioecesis Urgellensis et provinciae Ilerdensis, die XXX mensis Maii anno MCMXI est natus. Presbyter anno MCMXXXV est ordinatus. Vicarium paroecialem in *Pobla de Segur* egit, fructuosum inter iuvenes prosequens apostolatum. Mense Iulio anno MCMXXXVI in carcerem simul cum proprio parocho est inclusus et in custodiis usque ad diem XIII mensis Augusti mansit.

4. *Iosephus Boher Foix*. In *San Salvador de Toló*, provinciae Ilerdensis et dioecesis Urgellensis, die II mensis Novembris anno MDCCCLXXXVII est ortus.

Sacerdos ordinatus anno MCMXIV, ministerium variis in paroeciis explevit atque, anno MCMXXIX, parochus nominatus est *Pobleta de Bellvehí*. Plurimi ob bonitatem et praedicationis donum a fidelibus aestimabatur.

5. *Franciscus Castells Brenuy*. Die XXXI mensis Iulii anno MDCCCLXVI in *Pobla de Segur* natus est, provincia in Ilerdensi. Presbyter anno MDCCCLXXXIX est factus. Ministerium diversis in paroeciis obiit, deinde oeconomus nominatus est apud *Poal*. Amabilis fuit et in modo agendi singularis.

6. *Petrus Martret Moles*. Urgellensi in urbe die V mensis Iulii anno MCMI est natus. Sacerdotalem accepit ordinationem anno MCMXXV. Coadiutor fuit quibusdam in dioecesis paroeciis. Anno MCMXXXI parochus nominatus est *Pobla de Segur*. Animo dedito formationem curavit iuvenum. In carcerem inclusus est et simul cum vicario suo Silvestro Arnau Pascüet occisus.

7. *Iosephus Ioannes Perot Juanmartí*. Bononiae in Gallia, die XXX mensis Maii anno MDCCCLXXVII natus est. Sacerdotii donum anno MCMIII Urgelli accepit. Ministerium variis in paroeciis explevit, parochum deinde in *San Juan de Viñafrescal* egit, prope *Salàs de Pallars*. Cum sciisset milites marxistarum venturos ad se captandum martyrioque afficiendum, audaciter adfirmavit: «Si ad me veniunt, hic eos exspecto».

Populus Dei statim eos omnes martyres fidei considerabat. Iam annis MCMXLVI-MCMXLVIII Causa est incohata beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Iosephi Tàpies Sirvant. Anno MCMXCIII Inquisitio dioecesana celebrata est de martyrio aliorum Servorum Dei. Episcopo Urgellensi petente, die XIII mensis Martii anno MCMXCVIII Congregatio de Causis Sanctorum Causarum decrevit unionem. Ad regulam iuris omnibus expletis, die XIX mensis Aprilis anno MMIV, coram Pontifice Maximo Ioanne Paulo II, rec. mem., decretum promulgatum est super martyrio. Nosmet Ipsi deinde ut ritus beatificationis Romae compleretur die XXIX mensis Octobris anno MMV decrevimus.

Hodie igitur Petriana in Basilica de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabiles Servos Dei Iosephum Tàpies Sirvant et VI Socios:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Henrici Vives Sicilia, Episcopi Urgellensis, et Antonii Mariae Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matritensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei

Iosephus Tàpies et sex Socii et Maria ab Angelis Ginard Martí Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Iosephi Tàpies et sex Sociorum die decima tertia Augusti et Mariae ab Angelis Ginard Martí die tricesima Augusti, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clari hi viri diligentem ostenderunt spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem, atque insignia dederunt pietatis testimonia. Dum illorum conspicimus vitam, qui Redemptorem hominum etiam variis in difficultatibus fideliter sunt secuti, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitamur adque sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam invitamur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Octobris, anno MMV, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 27.303

II

Venerabili Dei Servo Dario Acosta Zurita caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Christiani ... lumen vitae cum omni fiducia et fortitudine apostolica, ad sanguinis usque effusionem, diffundere satagant» (CONC. OECUM. VAT. II, *Dignitatis Humanae,* 14).

Darius Acosta Zurita labori non pepercit, ministerium suum acturus, licet quaedam difficultates adessent et persecutio, in quibus Mexicana Ecclesia primis saeculi XX annis versabatur. Perinde ac apostoli, publicis potestatibus obsistere non dubitavit, quae impediebant quominus populus evangelizare-

tur, atque vitam amittere maluit potius quam sua christiani presbyterique officia deserere.

Boni Pastoris veluti effigies, hic mense Decembri anno MCMVIII in oppido *Naolinco* Verae Crucis dioecesis ex modica religiosaque familia ortus est. Patre mortuo, complures labores suscepit, ut matrem fratresque iuvaret. Duodecim ferme annos natus, animadvertit se ad sacerdotium vocari, quod explere in Ecclesiam propter persecutionem non potuit.

Anno MCMXXI seminarium est ingressus atque superiorum sodaliumque sibi ob animi comitatem, eruditionis studium, assiduitatem officiositatemque in pietatis opera versas, conciliavit aestimationem. Ad animi levationem atque athleticam artem aliquid quoque temporis impertiebat.

Sacerdotali auctus dignitate die XXV mensis Aprilis anno MCMXXXI, coadiutor factus est paroeciae Assumptionis in Verae Crucis urbe. Omnes caritate tractabat. Studiose catechesim parvulis tradebat atque Reconciliationis Sacramentum ministrabat. Concionando cunctos ad crucem complectendam et omnia « pro Christi crucifixi amore » facienda itemque adversa toleranda incitabat.

Licet in Ecclesiam sacerdotesque persecutio magis magisque incresceret, suum ministerium explicare perrexit. Cum se abscondere posset, ipse in paroecia una cum duobus vicariis cooperatoribus manere voluit.

Die XXV mensis Iulii anno MCMXXXI cum in templo esset cum duobus vicariis supra memoratis, alicuius celebrationis causa cui intererant etiam parvuli, adstantibus etiam catechistis, milites locum invaserunt et displodere in sacerdotes pyrobolos coeperunt. Dei Servus gravissime est vulneratus et Iesu nomen moriturus invocavit. Ut tumultus populi vitaretur, eius corpus in secreto loco est humatum, quod deinceps detectum a fidelibus est et excultum ipseque martyr est habitus. Anno MCMXLVII eius exuviae in templum sunt delatae in quo interemptus erat.

Anno MCMXCIV Verae Crucis Episcopus Causam beatificationis seu declarationis martyrii incohavit, Inquisitione facta dioecesana. His iure statutis perfectis rebus, coram Decessore Nostro, veneratae memoriae, Ioanne Paulo II, die XXII mensis Iunii anno MMIV decretum de martyrio prodiit. Statuimus ut beatificationis ritus Guadalaiarensi in urbe die XX mensis Novembris anno MMV celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servum Darium Acosta Zurita adscribimus.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Cardinalis Sandoval Íñiguez, Archiepiscopi Guadalaiarensis, Iosephi Guadalupe Martín Rábago, Episcopi Leonensis et Aloisii Gabrielis Cuara Méndez, Episcopi Verae Crucis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Anacletus González Flores et octo Socii, Iosephus a Trinitate Rangel Montaño, Andreas Solá Molist, Leonardus Pérez Larios et Darius Acosta Zurita Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die vicesima Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Novembris, anno MMV, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 27.485

III

Venerabili Servo Dei Anacleto González Flores et octo Sociis Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Nihil mihi proderunt mundi fines neque huius saeculi regna. Praestat mihi in Christo Iesu mori, quam finibus terrae imperare. Illum quaero, qui pro nobis mortuus est; Illum volo, qui propter nos resurrexit » (S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Epistula ad Romanos*, 6, 1).

Similiter ac sanctus Episcopus Ignatius Antiochenus plurimique alii martyres, qui per saeculorum cursum sanguinem suum pro Christo effuderunt, Venerabiles Servi Dei Anacletus González Flores et octo Socii pro nihilo aestimaverunt saeculi illecebras atque humana imperia, solliciti solummodo

ut firmum servarent fidelitatis vinculum cum Domino et cum Ecclesia Catholica. Tempore quidem revolutionis, quae Mexici est orta in primis decenniis vicesimi saeculi, ipsi intrepido animo proclamaverunt suam fidem in Divinum Redemptorem atque etiam inter vexationes Eum tamquam unicum universorum Regem invocare perrexerunt. Interfecti sunt variis in adiunctis temporum et locorum, at communis iis fuit animi serenitas, qua, bona aeterna affectantes, mortem pro Christo obierunt. Ipsi sunt:

1. *Anacletus González Flores*, natus est die XIII mensis Iulii anno MDCCCLXXXVIII in loco *Tepatitlán*, provinciae *Jalisco*, Mexici. Consecutus est lauream in iure, ac deinde ordinem temporalem strenue promovit iuxta Christi spiritum: orator fuit et catechista, varios scripsit libros et articulos. Anno MCMXXII iniit matrimonium et generavit duos filios, quos sapienter in viis Domini conduxit. Ex oratione et cotidiana communione eucharistica vim ipse hausit ad fidem suam testificandam etiam inter persecutiones adversus Ecclesiam variasque tribulationes. Die I mensis Aprilis anno MCMXXVII comprehensus est et cruciatus. Necatus est una cum Dei Servis Aloisio Padilla Gómez, Georgio Vargas González et Raimundo Vargas González. Ante mortem occisoribus suis ignovit eorumque ductori promisit se apud Deum pro eo deprecaturum.

2. *Aloisius Padilla Gómez* natus est die IX mensis Decembris anno MDCCCXCIX Guadalaiarae, Mexicanae provinciae *Jalisco*. Expletis studiis, gratuitas lectiones egenos iuvenes docere coepit. Socius conditor et sodalis Consociationis Catholicae Iuventutis Mexicanae, fecundum evolvit apostolatum socialem. Venerationem habuit erga Beatissimam Virginem Mariam. Saeviente persecutione, pacificis mediis defendit Dei et Ecclesiae iura. Apprehensus, ante mortem socios martyrii ad perseverantiam est hortatus atque occisoribus suis dimisit.

3. *Georgius Vargas González* natus est die XXVIII mensis Septembris anno MDCCCXCIX in loco *Ahualulco de Mercado*, Mexicanae provinciae *Jalisco*. Adhuc puer, una cum familia transmigravit ad Guadalaiaram. Operam praestabat apud societatem hydroëlectricam. Contra Ecclesiam furente insectatione, familia eius multos catholicos in periculo versantes hospitio recepit, quos inter etiam Venerabilem Dei Servum Anacletum González Flores. Hoc misericordiae opus causa fuit interfectionis huius Servi Dei eiusque fratris Raimundi.

4. *Raimundus Vargas González* natus est die XXII mensis Ianuarii anno MCMV in loco *Ahualulco de Mercado*, Mexicanae provinciae *Jalisco*. Nomen suum dedit facultati medicinae. Aestimationem sibi acquisivit propter affa-

bilitatem sinceramque fidei testificationem. Sese victimam obtulit in locum maioris fratris sui Florentini. Antequam moreretur signo crucis se signavit.

5. *Ezechiel Huerta Gutiérrez,* natus est mense Ianuario anno MDCCCLXXVI Magdalenae, Mexicanae provinciae *Jalisco*. Musicus et cantor fuit probatus. Assidue officia explevit mariti et patris. Singulari devotione excoluit Eucharistiam. Sollicitum se praebuit de indigentioribus. Inter tormenta Christum laudare minime cessavit. Interfectus est una cum fratre Salvatore diluculo diei III mensis Aprilis anno MCMXXVII, suis ignoscens necatoribus.

6. *Salvator Huerta Gutiérrez*, natus est die XVIII mensis Martii anno MDCCCLXXX Magdalenae, Mexicanae provinciae *Jalisco*. Mechanica arte eminuit. Sponsus et pater exstitit exemplaris. Devotione eucharistica excelluit. Incarceratus est et vexatus. Una cum fratre martyrium passus est die III mensis Aprilis anno MCMXXVII. Ante mortem Christum Regem et Beatissimam Virginem Guadalupensem invocavit.

7. *Aloisius Magaña Servín*, natus est die XXIV mensis Augusti anno MCMII in loco *Arandas*, Mexicanae provinciae *Jalisco*. Sodalis Consociationis Catholicae Iuventutis Mexicanae atque Archiconfraternitatis Adorationis nocturnae Sanctissimi Sacramenti assidue laboravit. Uxorem duxit et duos habuit filios. Tradidit se militibus, ut vitam fratris sui salvaret qui suo loco apprehensus erat. Manuballista est interfectus die IX mensis Februarii anno MCMXXVIII. Ante mortem suis ignovit interfectoribus hymnosque pie cecinit Christo Regi et Virgini Guadalupensi.

8. *Michaël Gómez Loza*, natus est die XI mensis Augusti anno MDCCCLXXXVIII in loco *Paredones*, hodie dicto *El Refugio*, provinciae *Jalisco*, Mexici. Doctrinam socialem Ecclesiae indefesse promovit atque inter fundatores recensetur Consociationis Catholicae Iuventutis Mexicanae. Forensia exercens officia, debiliores et catholicos iniuste in discrimen allatos defendit. Matrimonium iniit, ex quo tres filiae sunt natae. In carcerem coniectus, post acerbas vexationes necatus est die XXI mensis Martii anno MCMXXVIII.

9. *Iosephus Sánchez Del Río*, natus est die XXVIII mensis Martii anno MCMXIII in loco *Sahuayo*, Mexicanae provinciae *Michoacán*. Puer Guadalaiaram transmigravit. Nondum XIV annos natus, exemplum fratrum sequi cupiens, pro fidei catholicorumque persecutione oppressorum defensione certavit. Die X mensis Februarii anno MCMXXVIII, dum ad locum passionis conduceretur, recusavit se Deum blasphemare. Ante mortem Christo Regi et Virgini Guadalupensi hymnos cantavit.

Populus Dei statim eos tamquam veros fidei martyres existimavit. Quapropter Archiepiscopus Guadalaiarensis anno MCMXCIV incohavit Causam beatificationis seu declarationis martyrii per dioecesanam Inquisitionem, respicientem Venerabiles Servos Dei Anacletum González Flores et septem Socios. Causa autem beatificationis Venerabilis Servi Dei Iosephi Sánchez Del Río incohata est anno MCMXCVI ab Episcopo Zamorensi. Ambae Causae coniunctae sunt anno MMIII. Rite peractis omnibus iure statutis, die XXII mensis Iunii anno MMIV coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II, Decessore Nostro venerandae memoriae, promulgatum est Decretum de martyrio horum Venerabilium Servorum Dei. Deinde Nos Ipsi decrevimus ut ritus beatificationis Guadalaiarensi in urbe die XX mensis Novembris anno MMV, in sollemnitate Domini nostri Iesu Christi universorum Regis, celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabiles Servos Dei Anacletum González Flores et octo Socios adscribimus.

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Cardinalis Sandoval Íñiguez, Archiepiscopi Guadalaiarensis, Iosephi Guadalupe Martín Rábago, Episcopi Leonensis et Aloisii Gabrielis Cuara Méndez, Episcopi Verae Crucis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Anacletus González Flores et octo Socii, Iosephus a Trinitate Rangel Montaño, Andreas Solá Molist, Leonardus Pérez Larios et Darius Acosta Zurita Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die vicesima Novembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

His autem nostris temporibus potissimum necessaria habemus huiusmodi testimonia quibus excelleant christiani laici, fide moralibusque principiis suis usque ad mortem fideles atque spiritalem fortitudinem inspirationemque ex fontibus Salvatoris Iesu Christi haurientes per cotidianam Eucharisticam communionem sinceramque devotionem erga Sanctissimum Sacramentum et Beatissimam Virginem Mariam.

Magna igitur cum devotione et admiratione Nosmet Ipsi primi intrepidos hos beatos Martyres veneramur, persuasi eorum exemplum multum prodesse catholicis viris ad novum excitandum ardorem pro fide in Iesum Christum

maxime colenda, moribus et verbo testificanda et in adversis quoque firmiter profitenda.

Haec vero quae hic statuimus firma in posterum esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Novembris, anno MMV, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 34.023

IV

Venerabili Dei Servae Mariae ab Angelis Ginard Martí caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Omnes tamen parati sint oportet, Christum coram hominibus confiteri, Eumque inter persecutiones, quae Ecclesiae numquam desunt, in via crucis subsequi» (cfr CONC. OECUM. VAT. II, *Lumen Gentium,* 42).

Coram persecutionibus, adversus Ecclesiam in Hispania annis MCMXXXVI-MCMXXXIX actis, Dei Serva Maria ab Angelis Ginard Martí non sivit se timore vinci atque palam suam est confessa in Christo fidem usque ad vitam tradendam, in eum tamquam summum amoris documentum, cui totam suam exsistentiam tradiderat. Fidelis haec Redemptoris sponsa die III mensis Aprilis anno MDCCCXCIV in oppido *Llucmayor* Maioricensis dioecesis orta est. Puella in insula Magna Canaria est commorata, quoniam illuc pater venerat. Nativis locis una cum familiaribus repetitis, se Deo consecrandi religiosa cepit consilium, sed exspectare per aliquod tempus debuit, quandoquidem familia ei necessario sustinenda fuit. Didicit igitur galerorum conficiendorum acuque pingendi artem. Quae res non obstiterunt quominus spiritalem vitam curaret.

Quotidie Missae celebrationi interesse solebat, multum temporis coram Sanctissimo Sacramento exigebat itemque Sancti Rosarii precationem colebat.

Anno MCMXXI, spiritali moderatore comprobante, Institutum Zelantium Cultum Eucharisticum Palmae Maioricensis ingressa est. Die XXVII mensis Maii anno MCMXXII vestimentum religiosum sumpsit sibique nomen imposuit Mariae ab Angelis. Anno MCMXXIII prima vota nuncupavit. Annis MCMXXVI-MCMXXIX Matriti quandam domum est moderata. Die XXVIII mensis Maii anno MCMXXIX perpetua vota nuncupavit. Barcinonensi in urbe tres annos fuit, ubi primae consiliariae sustinuit munus. Matritum porro repetiit ministratrix, generalis consiliariae detrectato munere. Sua munia laeta studiosaque sustinebat atque Domino inserviebat, sua ipsius explicans officia. Per precationem et Eucharistiae devotionem suam spiritalitatem curabat, coram diu manens sanctissimo Sacramento. Virginem Mariam saepe invocabat ac pristinos christianos martyres colebat, quorum affectare exempla volebat. Suis vivendi rationibus sorores afficiebat, quas caritate tractare solebat. Pauperibus maternam sollicitudinem ostendebat, quos evangelica dilectione adamabat.

Mense Iulio anno MCMXXXVI, religiosa persecutione saeviente, apud amicam familiam confugit. Monentibus de imminenti periculo, sine metu ipsa respondebat: « Plus quam nos necare facere non possunt »: sic ostendebat se illos non vereri, qui corpus attingunt, at non animam. Die XXV mensis Augusti anno MCMXXXVI est capta. Quoniam marxiani milites capturi erant sororem quoque domus dominae, affirmavit ipsa se unam esse illic religiosam sororem. Amicam hoc modo servavit, sed se ipsam capitis damnavit. Capta revera est et in loco *Dehesa de la Villa* prope Matritum subsequenti die XXVI mensis Augusti manuballista est necata.

Dei populus eam fidei martyrem putavit; quae opinio temporis decursu mansit. Anno MCMLXXXVII, Archiepiscopus Matritensis beatificationis seu declarationis martyrii Causam per dioecesanam Inquisitionem incohavit. His perfectis iure statutis rebus, coram Venerato Decessore Nostro, Ioanne Paulo II, die XIX mensis Aprilis anno MMIV decretum de martyrio prodiit. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Romae die XXIX mensis Octobris anno MMV celebraretur.

Hodie igitur Petriana in Basilica de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabilem Servam Dei Mariam ab Angelis:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Henrici Vives Sicilia, Episcopi Urgellensis, et Antonii Mariae Cardinalis Rouco Varela, Archiepiscopi Matri-

tensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Iosephus Tàpies et sex Socii et Maria ab Angelis Ginard Martí Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Iosephi Tàpies et sex Sociorum die decima tertia Augusti et Mariae ab Angelis Ginard Martí die tricesima Augusti, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Praeclara haec beata quae exemplarem vitam Deo fideliter consecratam martyrii corona obsignavit, quodammodo omnes nos hortatur ad fidem iugiter colendam, ad constantiam in bonis operibus servandam atque heroicam in Deum et proximum caritatem exsequendam.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Octobris, anno MMV, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 34.024

V

Venerabili Dei Servo Carolo de Foucauld caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Hoc est corpus meum, hic est ... sanguis meus » (*Mt* 26, 26 et 28); « Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt* 25, 40).

Duo haec Iesu verba in propositum illud ad sanctitatem nos inducunt, quod Caroli de Foucauld fuit, quodque ipse, in epistula die I mensis Augusti anno MCMXVI data eaque Aloisio Massignon transmissa, est testatus: « Nullum

est in Evangelio verbum, opinor, quod me altius affecerit ac meam vitam immutaverit, quam istud ».

Carolus de Foucauld Argentorati die XV mensis Septembris anno MDCCCLVIII ortus est. Sex annos natus pupillus, una cum sorore Maria apud maternum avum adolevit, cuius militare munus est secutus. Adulescens fidem amisit. Licet ad vitam facilem sit promptus, fortem constantemque voluntatem difficilioribus in condicionibus demonstrabit.

Militiae munere deposito, Mauritaniam invisurus annis MDCCCLXXXIII-MDCCCLXXXIV iter suscepit. Fides, quam Muslimi testabantur, hanc interrogationem in eum concitat: Estne Deus? Veritatem quaerens, id precatur: « Deus meus, si exsistis, effice ut te cognoscam » (Epistula Henrico de Castries missa, die XIV mensis Augusti anno MCMXVI). In Francogalliam regressus, cum moderata amabilique familiae affectione moveretur, fidem prudentem suorum mirabatur eique invidebat. A presbytero Huvelin perductus, Deum mense Octobri anno MDCCCLXXXVI in perpetuum detexit: « Simul ac Deum esse credidi, intellexi me nihil aliud facere posse quam pro Eo vivere » (*ibid.*).

In Terram Sanctam susceptum iter eius vocationem patefacit, scilicet sequendi imitandique eius in vita Iesum Nazarenum. Ordinem Cisterciensium Strictioris Observantiae anno MDCCCXC ingressus, die XXIV mensis Aprilis suum vitae propositum amico Henrico Duveyrier ostendit: « Dei amor, amor hominum tota est mea vita atque spe teneor istud usque totam meam vitam fore ».

Ut Dei voluntatem servaret, memoratum Ordinem anno MDCCCXCVII deseruit. Dehinc, quattuor fere per annos, Nazareth prope Clarissarum monasterium vitam in solitudine exigit. Sacram Eucharistiam contemplando et Sacras Scripturas meditando convenire cupit Eum, qui dilectus est Frater, cuius se parvum vult esse fratrem.

Ut plenius Iesum imitaretur, decrevit ut presbyterali ordine augeretur. Quapropter die IX mensis Iunii anno MCMI sacerdos fit dioecesis Vivariensis. Post tres menses in loco *Beni-Abbés* appellato commorari coepit. Dei « exinanitione » omnino capitur, per quam Nazarethanae vitae omnino intellegit apostolicam indolem, quae cum incarnationis mysterio prorsus sociatur. Ministerium suum sacerdotale « amore, in cotidiano opere contuens, contemplans indesinenter Dilectum Iesum, agere vult ». In oratione adorationeque divinae Hostiae noctu vigilat.

Anno MCMV in pago *Tamanrasset* commorari coepit, ubi circiter viginti tentoria aderant, in quibus nonnullae familiae *Tuareg* stirpis incolebant. Ipse unus Europaeus a gente hac est susceptus, quae eum ineunte anno MCMVIII

aegrotum iuverunt. Ibidem non multum patrare poterat; consociandi tamen cum iis, quibus etiam Bonus Nuntius destinabatur, dabatur copia. Mores igitur *Tuareg* stirpis adipiscitur, cuius amans didicit loquelam aliasque res, quae futuris etiam missionariis usui esse possent.

Cum bellum primum mundanum exarsisset, cum hac gente in pago *Tamanrasset* mansit, ubi die I mensis Decembris anno MCMXVI manuballistae ictu est interemptus.

Eius post mortem complures viri feminaeque coadunari in varias religiosas congregationes piaque sodalicia potuerunt, ut eius exemplum et doctrinam sequerentur. Sic Domini verbum complebatur: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » (*Io* 12, 24).

Anno MCMXXVII beatificationis canonizationisque Causa est incohata, apud Ghardaiensem in Sahara sedem, ordinario celebrato Processu necnon decem Processibus rogatorialibus absolutis. His omnibus perfectis iure statutis rebus, Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis die XXV mensis Aprilis anno MMI prodiit. Deinceps die XX mensis Decembris anno MMIV Decessor Noster Ioannes Paulus II, recolendae memoriae, miraculum comprobavit, quod eiusdem Dei Servi intercessioni est adscriptum. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus Romae die XIII mensis Novembris anno MMV celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servum Carolum de Foucauld adscribimus.

Nos vota Fratrum Nostrorum Claudii Rault, Episcopi Laghuatensis, Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana Dioecesi, et Hygini Reali, Episcopi Portuensis-Sanctae Rufinae, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Carolus de Foucauld, Maria Pia Mastena et Maria Crucifixa Curcio Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Caroli de Foucauld die prima Decembris, Mariae Piae Mastena die vicesima septima Iunii et Mariae Crucifixae Curcio die quarta Iulii, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Praestabilis hic vir, qui cum Domino arte coniunctus totam suam vitam pro Ipsius gloria omnino impendit Eidemque perquam studiose in pauperibus

inserviit, insignes dedit religiosae pietatis operumque bonorum testificationes. Admirantes tantam ipsius pro Domini amore alacritatem, exoptamus ut, huius caelitis patrocinio exemplisque ducti, illius contemplativam et actuosam vitam imitemur atque, terrenis posthabitis rebus, ad superna iugiter contendamus.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Novembris, anno MMV, Pontificatus Nostri primo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 34.125

VI

Venerabili Dei Servo Aloisio Biraghi caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Imitatores mei estote sicut et ego Christi » (*1 Cor* 11, 1).

Perinde ac Paulus Apostolus, Venerabilis Dei Servus Aloisius Biraghi, divina gratia roboratus, expedite semitam tenuit Christi imitationis, qui unus fuit magister et exemplar, atque usque studiose operatus est ut ad Eum animas perduceret omnibusque dilectionem illam ostenderet qua Pater in Divino Redemptore homines complectitur.

Operosus hic sacerdos in oppido *Vignate* Mediolanensis Archidioecesis die II mensis Novembris anno MDCCCI ex agricolarum familia ortus est. Puer una cum familia ad oppidum *Cernusco sul Naviglio* se contulit. Ad sacerdotium se sentiens vocatus, philosophicis ac theologicis disciplinis in Seminariis Castri (Leuciensis loci), Modiciae ac Mediolani operam dedit, ubi diligentia, pietate ac doctrina eminuit. Diaconus renuntiatus, litteras in minoribus Seminariis tradere coepit, quod opus, die XXVIII mensis Maii anno MDCCCXXV sacro ordine auctus, sustinere perrexit.

